

Учебный материал подготовлен подготовлен по результатам проекта «Разработка методических материалов для изучения древнегреческого и латинского языков» при поддержке фонда «Гуманитарные исследования» ФГН НИУ «Высшая школа экономики» в 2021-2022 году.

FRANCISCUS PETRARCA

DE REMEDIIS UTRISQUE FORTUNAE

DIALOGUS XIV. DE LIBERTATE

Personae:

Gaudium

Ratio

*Gaudium:* In libertate natus sum.

*Ratio:* Non qui nascitur, sed qui moritur liber est. Multum fortunae licet in nascentem, in extinctum nihil. Expugnat urbes munitissimas, armatos fundit exercitus, potentissima regna subvertit; inexpugnabilis arx, sepulchrum: illic regnum vermibus non fortunae; itaque limen illud ingressi soli mortalium vitae huius ab insultibus tuti sunt.

Tu te liberum iactas et ignoras, non dico ad sepulchrum, sed an liber hodie in cubiculum sis iturus! Libertas vestra tenuissimo nitens filo, sicut alia quibus fiditis omnia, tremula semper et caduca est.

G.: Liber sum.

R.: Idcirco te, ut reor, liberum dicis, quia dominum nullum habes: sed Anneum audi

extinctus (<- extinguo, stinxi, stinctus, 3) = mortuus

fundo: vinco

subverto, ti, sum, 3 <-> aedifico

arx, arcis, f – locus munitus, ut Romae

Capitolium erat

sepulchrum, i, n – locus in quo mortuus situs est

vermis, is, m – animal parvum et longum, oculos

membraque non habens in terraque vivens

ingredior <-> egredior

insultus, us, m: impetus

iacto avi, atus, 1 – cum gloria appello



vermis

nitor, nisus/nixus sum, 3 = sustineor

tremulus <- tremo

caducus <- cado; cadens vel casurus

idcirco = ideo

reor, ratus sum, 1 = puto, censeo

Lucius Annaeus Seneca. Epistolae ad Lucillum. XLVII, XII.

bona: longa

Senecam: “Bona” inquit “aetas est; forsitan habebis. Nescis qua aetate Hecuba<sup>1</sup> servire coepit, qua Croesus<sup>2</sup>, qua Darii mater<sup>3</sup>, qua Plato<sup>4</sup>, qua Diogenes<sup>5</sup>? ”His ille te admonet exemplis; multa sunt alia vel tacita Senecae vel ignota. Nunquid non Attilium Regulum<sup>6</sup> meministi, indignum prorsus hoc ludibrium, passum tamen? Nunquid tibi recentior annis Valerianus<sup>7</sup> excidit? Quorum ille modo dux, hic autem princeps populi Romani moxque ille Carthaginensium, hic Persarum servus, ille truci supplicio peremptus, hic longa et misera contabuit servitute. Quid Macedoniae Numidiaequae reges, hinc Persen<sup>8</sup>, hinc Syphacem<sup>9</sup>, memorem atque Iugurtham<sup>10</sup>, regni omnes e culmine Romana lapsos in vincula? Mitto veteres regum casus; aetas tua quosdam e

admoneo = moneo

nunquid = numquid (num + quid)

prorsus = plane

ludibrium, i, n = indignitas, dedecus

recens, entis <-> antiquus

excidit: memoria non tenetur

modo... mox = primum... deinde

princeps: dux civitatis

Carthaginensis, e <- Carthago

trux, ucis = crudelis

perimo, emi, emptus, 3 = interficio

contabesco, tabui, 3 – consumo, fatigor atque morior

culmen, inis, n – locus superior, vertex

Vincula (vinculum, i, n) sunt quae homines

captos obstat, ne movere possint

mitto: nihil dicam

regia, ae, f – regis domus

trudo, si, sus, 3 = pello

<sup>1</sup> Hecuba regina Troianorum, post bellum Troianum autem ancilla fuit Ulixis, ut apud Euripidem (Troades).

<sup>2</sup> Croesus ab anno DLX a.C.n. ad annum DXLVI a.C.n. rex Lydiae fuit, deinde a Persis victus est. Herodotus illum Cyri, regis Persarum, consiliarium factum esse dicit (*Historiae*, liber I)

<sup>3</sup> Darius, rex Persarum, ab Alexandro Magno victus est. Sisygambis Darii mater eo proelio capta fuit et se ancillam Alexandri appellavit, ut apud Curtium Rufum (III, XII): «Tu quidem matrem me et reginam vocas, sed ego me tuam famulam esse confiteor».

<sup>4</sup> Diogenes Laertius Platonem, philosophum Atheniensem, cum Syracussas advenisset, in servitutem datum esse narrat. Deinde vero liberatus est et Athenas rediit (*Vitae Philosophorum*, liber III).

<sup>5</sup> Diogenes, philosophus Atheniensis, a piratis captus et in Creta in servitutem datus est. Xenias illum emit, de quo Diogenes Laertius in libro VI *Vitarum Philosophorum* narrat.

<sup>6</sup> Marcus Atilius Regulus consul ac dux Romanus fuit. Primo bello Punico a Poenis captus est. Florus, historicus Romanus (*Epitomae*, I, XVIII), illum deinde dicit in cruce cruciandum et interfectum esse quod Romani supplicium turpem putabant.

<sup>7</sup> Valerianus imperii Romani regnaverat, sed a Persis tempore belli captus in servitute mortuus est.

<sup>8</sup> Perses ultimus rex Macedoniae fuit et a Romanis victus est.

<sup>9</sup> Syphax rex Numidiae secundo bello Punico a Romanis captus est Romamque ductus et ibi mortuus est.

<sup>10</sup> Iugurtha rex Numidiae bello Iugurthino a Romanis victus est.

regia trusit in carcerem, eundemque una hora et primum regem et ultimum servum vidit, si quidem eo quisque miserior servus est, quo felicius liber fuit. Noli igitur libertate tumescere, quoniam non ex liberis modo, sed ex regibus tam subito servi fiunt. Nec miraberis, cum secundum Platonis sententiam non minus ex servis etiam reges fiant; mutantur assidue res humane, nihil sub caelo stabile. Quis in tanta vertigine firmum aliquid ac mansurum speret? Neque vero te liberum hinc dixeris, quod esse dominum tibi non vides, quod parentibus ortus ingenuis nec in acie captus nec venundatus sis; sunt vobis invisibiles animorum domini et in ipsa hominum origine latens pestis est: nascendi genus obnoxium peccato, qua nulla gravior servitus fingi potest. Sunt occulti hostes et bella clandestina, sunt que miseras animas nundinentur, quas, heu!, vili pretio venditis, voluptates foedissimae dominarum, quae vos inenodabili laqueo vinctos tenent. Ite nunc et libertate gloriamini! Sed vos caeci nihil nisi corporeum videtis, unde eum qui uni mortali

vincula



tumescere, mui, 3, = superbus sum

secundum Platonis sententiam: ut Plato censet

assidue = semper

stabilis, e = constans

vertigo, inis, f (<- verito)

firmus: stabilis

hinc: ideo, propter hoc

ortus: natus

ingenuus, a, um – liber atque familia nobili ortus

venundo, dedi, datum, 1 = vendo

invisibilis est quem videre non possis

origo, inis, f (<- orior) = principium

pestis, is, f (<-> salus) – morbus; res mala, calamitas

obnoxius, a, um <-> liber

peccatum, i, n = maleficium, nefas

fingo, finxi, fictus, 3 = excogito, in mente

imaginem cuiusdam rei habeo

clandestinus, a, um = occultus

nundinator, atus, 1: emo

voluptas, atis, f = omnia quo gaudeamus; hic

voluptates improbae intellegendae sunt

Petrarca hic dominam feminam amatam

appellare videtur

inenodabilis, e (<- nodus) – qui solvi non potest

laqueus, i, m – vinculum quo animal ignorans

capitur


glorior, atus, 1 <- gloria

corporeus, a, um <-

corpus

subsum – inferior sum,

servio



opprimo, pressi,

pressus, 3 = valde premo

subest domino servum dicitis, illum vero qui mille immortalibus tyrannis opprimitur liberum iudicatis: eleganter, ut reliqua! Profecto autem liberum non facit fortuna, sed virtus.

G.: Liber sum.

R.: Plane si prudens es, si iustus, si fortis, si modestus, si innocens, si pius; horum si quid abfuerit, pro ea te parte servum scito.

G.: In libera patria natus sum.

R.: Urbes quoque tu liberas tua aetate pro exiguo flexu rerum post paululum servas nosti. Quod si vel notiora vel clariora sunt vetera, Lacedaemon et Athenae liberrimae urbes, civile primum, mox externum passae sunt iugum<sup>11</sup>. Hierosolyma<sup>12</sup>, sancta urbs et libertatis aeternae mater, temporaliter et Romanis servivit et Assyriis, nunc servit Egyptiis. Roma ipsa non solum libera, sed domina gentium, suorum primum civium, post etiam vilissimorum hominum serva fuit, ut nemo unquam libertati, nemo vel imperio suo fidat.

iudico, avi, atum, 1: puto  
eleganter (<-> stulte) – apte, cum dlectu et iudicio

modestus – paucis contentus, qui in rebus modum servat

innocens (<- noceo) = culpam non habens  
pius – iustus, culpa carens, officium suum parentibus atque dis vel Deo colens

flexus, us, m. <- flecto  
urbes liberas tua aetate /= tuo tempore/  
propter non tam magnas mutationes servas fieri  
scis  
quod si = si autem


civilis, e <- civis

externus, a, um <-> internus

iugum est instrumentum curvum quod animalia, equos vel pecus, tenet, hic iugum servitutem significant

aeternus, a, um = semper futurus  
temporaliter <- tempus

boves sub iugo



vilis: malus, turpis

imperium: potestas

<sup>11</sup> Iugum civile Petrarca fortasse appellat potestatem Macedoniae sub rege Philippo, Alexandri Magni patre, postea sub Alexandro ipso. Nam Macedones lingua Graeca quoque loquebantur et se Graecos esse putabant, etiamsi Graeci ipsi illos Graecos non iudicaverint. Iugum externum potestas Romanorum appellari videtur.

<sup>12</sup> Hierosolyma urbs in Iudaea sita Christianis, Iudaeis Islamitisque sancta est.

DIALOGUS LXII. DE PAVONIBUS, PULLIS, GALLINIS, APIBUS ET COLUMBIS

Personae:

Gaudium

Ratio

G. Pavonibus affluo.

R. Ex illorum caudis Argi oculos repetisse consilium fuerit, ne pedibus noceat notissima tegularum pestis.

G. Pavones multos habeo.

R. Avem visu pulchram, non inficior, atque amoenam; sed haec voluptas oculorum multo aurium taedio pensanda est, quibus contra illum tartareae vocis horrorem vel fugae vel Ulysseae picis auxilio opus sit — ut sileam, omni peius taedio, vicinorum odium ac lamenta.

Vos vero dum imperiosae et nihil intemptatum relinquenti gulae pareatis, nec aliena nec vestra incommoda cogitatis, obliti hanc viris olim fortissimis sollicitudinem non fuisse, quando intacti pisces et ferae et volucres tutae erant et praeter pennas nil in pavone placebat, ut Naso ait [1]; neque nunc sane quid in hac ave tantopere placeat invenio praeter nobilitatem carnum, quae non putrescere dicuntur, longum

pavonibus affluo = pavones multos habeo  
repeto, ivi, itum, ere = commemoro  
tegula, ae, f – testae aliusue materiae genus, quo domus teguntur  
pestis, is, f – nomen generale omnis mali, morbis



visus, us, m – id quod vidimus  
inficior = infitior, atus sum, ari = nego  
voluptas, atis, f = deliciae  
taedium, i, n = satietas (<- satis)  
penso, avi, atum, are – compensare, paria facere

tartareus, a, um = inferus  
horror, oris < horreo, ere  
pix, picis, f = cera

vicinus, – propinquus, proximus loco vel etiam tempore, quasi in eodem vico positus  
lamentum, i, n < lamentor, atus sum, ari = queror

imperiosus, a, um < imperium  
intemptatus < tempto/tento = experior  
gula, ae, f: venter

sollicitudo, inis, f = cura, officium  
intactus < in + tactus (tangere)

volucer (< volare) = avis

nil = nihil  
Publius Ovidius Naso, poeta Romanus

tantopere (tanto opere) = tantum

nobilitas, atis, f: qualitas bona

putresco = putris (= corruptus) fio

etiam in tempus si serventur — quod et tibi licitum experiri et expertum se asserit Augustinus [2]. Ita vestram famem, nisi adsit ambitio, nec cibus satiat nec voluptas. Pavonem certe cibi gratia Romae primus occidisse fertur Hortensius orator, vir eloquio clarus, moribus delicatus et mollis ut femina, sed qui morum plurimos, eloquii autem raros habet imitatores [3].

G. Pullos nutrio.

R. Impedimentum domui, escam vulpibus, areae suffossores, quorum unguis et pulvereum solum semper et nunquam superficies aequa sit.

G. Gallinarum magnus est numerus.

R. Ut cessent taedia, paene par fructus et impensa erit: magno pretio longisque clangoribus exiguum ovum constat.

G. Sed abundo apibus.

R. Non mortalis modo, sed volatilis et fugitiva felicitas tua est.

G. Alvearia multa sunt mihi.

R. Non minus in quolibet quam vel in magna urbe negotii vel in castris strepitus est: nunc examina fugient, nunc pugnabunt reges, nunc tinnitu aeris, nunc iactu pulveris res egebit ut salva sit. Saepe omnia expertus nil profeceris; quin cum ditior esse

licitus, a, um < licet  
asserere: dicere  
experiri = probare, pati

ambitio, onis, f = gloriae cupiditas  
satio (< satis) = implere

orator (< orare): homo dicendi peritus, qui publicas privatasque causas agit  
eloquium, i, n = oratio  
delicatus = mollis  
plurimus – superl. multum plurimos imitatores  
imitator < imitari

nutrio, ivi, itum, ire = alo, cibum do  
impedimentum, i, n <- impedire = prohibere, obstare  
esca, ae, f=cibus  
area, ae, f= terra  
suffossor, oris, m < suffodio, fodi, fossum, ere = sub + fodere (= terram aliudve quippiam eruere, effodere)  
pulvereus, a, um <- pulvis = sordes, terra  
sicca

ungula, ae, f = animalium pedes vel unguis  
nunquam = numquam  
superficies, ei, f (super + facies) - pars superior vel summa  
gallina, ae, f < gallus  
fructus: praemium, voluptas



impensa, ae, f < impendere  
clangor, oris, m = clamor

vulpes, is, f



volatilis, e < volare

alvearium, i, n (= alvarium) – vas, in quo apes habitant et mel faciunt  
in quolibet *alveario*

examen, inis, n = apum congregatio

tinnitus, us, m = sonus acutus  
iactus < iacere  
egeo, gui, --, ere = alicuius rei inopia laborare

proficio, feci, factum, ere = procedere, progredi  
ditior = compar. dis (dives)

credideris, nudus sis. Proinde si servandi studium cum melle contuleris mel amarum voces.  
 G. Sed columbis affluo.  
 R. Atqui apum in thalamis siletur per noctem, ut Virgilius ait, in columbario autem nunquam [4]. Vix est animal inquietius columbo.  
 G. Plena mihi sunt columbaria.  
 R. Sunt qui litigent et qui gemant, qui diebus domum foedent, noctibus somnum frangant: en magni gaudii materia!

proinde = itaque

confero, contuli, collatum, conferre:  
 comparare  
 amarus, a, um <-> dulcis

columbus, i, m



atqui = tamen

thalamus, i, m = cubiculum

columbarium, l, n = domus columborum

inquietus, a, um (in + quietus) <-> tranquillus

litigo, avi, atum, are = inter se verbis pugnare

gemo, ui, itum, ere = queri

foedo, avi, atum, are < foedus

[1] Ov. Met. 1.624-626

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:

inde suis vicibus capiebant bina quietem,

cetera servabant atque in statione manebant.

1.719-722

Arge, iaces, quodque in tot lumina lumen habebas,

extinctum est, centumque oculos nox occupat una.

Excipit hos volucrisque suae Saturnia pennis

collocat et gemmis caudam stellantibus inplet.

[2] Augustinus De Civ.Dei XXI, 4

Quis enim nisi Deus creator omnium dedit carni pavonis mortui ne putesceret? Quod cum auditu incredibile videretur, evenit ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur haec avis, de cuius pectore pulparum, quantum visum est, decerptum servari iussimus; quod post dierum tantum spatium, quanto alia caro quaecumque cocta putesceret, prolatum atque oblatum nihil nostrum offendit olfactum. Itemque repositum post dies amplius quam triginta idem quod erat inventum est, idemque post annum, nisi quod aliquantum corpulentiae siccioris et contractioris fuit.

[3] Aulus Gellius, I, 5, 2-3

2. Ad eundem modum Q. Hortensius omnibus ferme oratoribus aetatis suae, nisi M. Tullio, clarior, quod multa munditia et circumspecte compositeque indutus et amictus esset manusque eius inter agendum forent argutae admodum et gestuosae, maledictis compellationibusque probris iactatus est multaque in eum, quasi in histrionem, in ipsis causis atque iudiciis dicta sunt. 3. Sed cum L. Torquatus, subagresti

homo ingenio et infestivo, gravius acerbisque apud consilium iudicum, cum de causa Sullae quaereretur, non iam histrionem eum esse diceret, sed gesticulariam Dionysiamque eum notissimae saltatriculae nomine appellaret, tum voce molli atque demissa Hortensius “Dionysia,” inquit, “Dionysia malo equidem esse quam quod tu, Torquate, ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος.”

[5] Verg. Georg. IV. 189-190

Post ubi iam thalamis se composuere, siletur

in noctem, fessosque sopor suus occupant artus.

DIALOGUS LXVI. DE UXORE FORMOSA

<p>G. Formosa mihi uxor obvenit.  R. Difficilem provinciam nactus es, vigila: dixi iam durum custodire quod a multis appetitur.  G. Forma est uxoris excellens.  R. Solet forma corporis, ut multa alia, paritate gaudere, imparitatem ac dissimilitudinem aspernari. Si par igitur tibi forma est, exerceberis; alioquin contemneris, utrumque laboriosum.  G. Forma coniugis magna est.  R. Et magna superbia; vix est aliquid quod aequè animum tumefaciat et extollat.  G. Forma uxoris est maxima.  R. Vide ne castitas parva sit; scitum est illud satyricum: Rara adeo est concordia formae atque pudicitiae.</p>	<p>ob - venīre = accidere, evenire  nanciscisci = forte invenīre, accidere  appetere = ad-petere = studere  excellens, entis = egregius  paritas, atis f = aequitas (&gt;aequus, a, um)  imparitas, atis f &lt;-&gt; paritas  dissimilitudo, inis f &lt;-&gt; similitudo (&gt;similis, e)  aspernari = reiicio (&gt; re + iacio)/ contemnere  alioquin - si aliter sit, nisi hoc sit  laboriosus, a, um = molestus  superbia, ae f &gt; superbus, a, um  tumefacere = turgidum facere, superbiam excitare  ex-tollere = in altum tollere, superbiam ferre  castitas, atis f = puritas (&gt;purus) in moribus, pudicitia  Decimus Iunius Iuvenalis: liber IV, Saturae X, 297-298  Concordia = consensus  Pudicitia &gt; pudēre</p>
--	---



Ut haec constet, morum insolentiam quis ferat et quotidiana fastidia?  
 G. Formosissima est uxor.  
 R. Habes domi idolum sumptuosissimum, operosum; videbis in dies peregrinos novosque habitus; lauda hinc corporis habitudinem quam omnia deceant, hinc ingenium inventricis ad cuncta versatile: tum iacturam patrimonii lucrum voca.  
 G. Habeo uxorem formosissimam.  
 R. Habes idolum litigiosum, insolens, quod affusus colas, quod extra te raptus stupeas, quod adores, unde totus pendeas. Submitte collum iugo et contentus forma coniugis curasque alias et propriam libertatem procul abice. Dicebam modo: cave ne quando aliam praeter illam laudes, ne quando oculos ab illius fronte diverteris, ne solito parcius blandiaris, solito minus insanias; quicquid respueris capitale erit, omnis sanitas defectio. Vive denique ad uxoris edictum et nutum dominae suspensus observa,

insolentia, ae f = (hic) superbia

quotidianus, a, um > cotidie  
 fastidium = taedium

idolum, i n = simulacrum dei pagani  
 sumptuosus, a, um = qui magna pecunia fit  
 operosus, a, um = laboriosus  
 peregrinus, a, um <-> localis, e (> locus)

habitus, us, m: vestis

habitus, inis f = ipsa corporis forma

inventrix, icis f > invenire  
 versatilis, e > vertere

patrimonium, i, n = bona paterna, hereditas

litigiosus, a, um = turbis plenus, qui quavis de causa rixam movet  
 insolens, entis > insolentia  
 affundo = genua flectere

contentus, a, um = is, quo omnia placent

frons, ontis f: vultus;                      divertere > vertere  
 blandiri – verba iucunda dicere, laudare  
 parcus > parce = avarus > avarus  
 insanire > in-sanus  
 respuere = aspernari, spernere  
 capitalis, e: poena capitis  
 omnis sanitas defectio – quicquid sanum facies, perfidia esse putabitur  
 edictum, i n = iussum (>iubere)  
 nutus, us m = motus capitis, voluntatem exprimens  
 observare – spectare, nutus, us m = motus capitis

mancipium non maritus. Haec  
facito, si tanti existimas  
aliquandiu formosam thori  
sociam amplecti levique ad  
tempus cute gaudere et  
candido natos ex utero  
tanquam poma nobiliora  
pulchro de vase suscipere.  
G. Uxorem habeo formosam.  
R. Venenum dulce, compedes  
aureas, splendidam  
servitatem.  
G. Forma delector uxoris.  
R. Vana brevisque delectatio:  
nil forma fugacius et  
praesertim feminea. Qui  
uxorem propter formam  
diligit, cito illam oderit.

mancipium, ii n: servus

thorus, i m = lectus

socia, ae f = amica, coniunx

amplecti = brachiis cingere

cutis, is, f = pellis

candidus – pulcher; nobilis

uterus, i m = pars corporis feminine in qua infans

nondum natus crescit

pomum, i, n = fructus

venenum, i n: medicamentum, quod nocet

compes, edis f = vincula, quibus pedes vincuntur

splendidus = lucidus (> lux)

vanus, a, um = vacuus, qui frustra fit, effectu

carens, falsus

delectatio, onis f > delectare

fugacius > fugax: qui facile fugit

praesertim = praecipue

cito = post breve tempus

#### Carmina de feminis formosis et foedis

Catullus, XLIII

Salve, nec minimo puella naso

nec bello pede nec nigris ocellis

nec longis digitis nec ore sicco

nec sane nimis elegante lingua,

decoctoris amica Formiani.

ten provincia narrat esse bellam?

tecum Lesbia nostra comparatur?

o saeculum insapiens et infacetum!

Catullus, LXXXVI

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,  
recta est. haec ego sic singula confiteor,  
totum illud "formosa" nego: nam nulla venustas,  
nulla in tam magno est corpore mica salis.  
Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima tota est,  
tum omnibus una omnis subripuit Veneres.

Horatius, Ep. VIII

Rogare longo putidam te saeculo,  
viris quid enervet meas?  
cum sit tibi dens ater, et rugis vetus  
frontem senectus exaret,  
hietque turpis inter aridas natis  
podex velut crudae bovis?  
sed incitat me pectus et mammae putres,  
equina quales ubera,  
venterque mollis et femur tumentibus  
exile suris additum.

Horatius, Ep. XII

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?  
munera quid mihi quidve tabellas  
mittis – nec firmo iuveni neque naribus obesae?  
namque sagacius unus odoror,  
polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,  
quam canis acer ubi lateat sus.  
<...> neque <...> iam manet umida creta colorque  
stercore fucatus crocodili <...>

Martialis, XCIII

Cum tibi trecenti consules, Vetustilla,  
et tres capilli quattuorque sint dentes,  
pectus cicadae, crus colorque formicae;  
rugosiolem cum geras stola frontem  
et araneorum cassibus pares mammas;

cum conparata rictibus tuis ora  
 Niliacus habeat corcodilus angusta,  
 meliusque ranae garriant Ravennates,  
 et Adrianus dulcius culex cantet,  
 videasque quantum noctuae vident mane,  
 et illud oleas quod viri capellarum <...>

Iuvenalis, VI

<...> silvestrem montana torum cum sterneret uxor  
 frondibus et culmo vicinarumque ferarum  
 pellibus, haut similis tibi, Cynthia, nec tibi, cuius  
 turbavit nitidos extinctus passer ocellos <...>  
 'Cur desiderio Bibulae Sertorius ardet?'  
 si verum excutias, facies, non uxor amatur.  
 tres rugae subeant et se cutis arida laxet,  
 fiant obscuri dentes oculique minores:  
 'collige sarcinulas,' dicet libertus, 'et exi.  
 iam gravis es nobis, et saepe emungeris, exi  
 ocus' et 'propera, sicco venit altera naso.

DIALOGUS XCIV. DE AMORE POPULI

G. Populus me amat.

R. Subsiste paululum: mox  
 oderit.

G. Populus me diligit.

R. Propera, nondum finis; ut  
 dies unus, sic vita omnis a fine  
 describitur.

G. Populo carus sum.

R. Quis illi Scipionibus carior,  
 quis Camillo, quis Rutilio ac  
 Metello? Quid Themistoclem

Subsisto, stiti, -, ere = manere; hic: expectare  
 Paululum <- paulum

*A fine = post finem (vitae)*

De-scribo, scripsi, scriptum, ere <- scribere; vita  
 describitur: narrator, aestimatur

loquar aut Miltiadem, quid hoc genitum Cymonem aut Aristidem, quid Tesea, quid Solonem, quid Hannibalem, quid Lycurgum? qui cives, oro te, quam quisque, quam breviter populo suo carus? omnium notus finis et vel in contemptum vel in odium versus amor atque indigna rebus praemia, fori labor, accusatio, mors, exilium, catenae!

G.Multis in populo carus sum.  
R.Malis igitur: pauci enim boni atque malorum malis artibus quaeri amorem constat: si vero similitudo quaedam parit amicitias, ut prudentibus placet, qui sis existima, qui multis in populo carus sis.

G.Populus me amat.  
R.Serenum hybernum, aura aestiva, quies maris, lunae status, amor populi: paria hae si conferantur, mobilitatis ultimo palmam do.

G.Populus me honorat.  
R.Labiis, credo. Cor autem eorum longe est a te; non est enim tibi fidelior quam Deo.  
Raro quicquam ex animo facit

Genitus: nobilis

*Qui cives = illorum (Scipio, Camillus, Rutilus,...)*  
Oro = rogo; *Oro te = dic mihi*

Breviter <- brevis

Contemptus, us (m) <= contemnere

*Fori labor = labor in foro = res politicae, hic: iudicium*

Accusatio, onis (f) <= accusare

Exilium, i (n) = actus expellendi <= ex-pellere

Similitudo, inis (f) <= similis

Parit = gignit

*Ut prudentibus placet = ut prudentes putant*

Serenum, i (n) <= serenus (de tempestate)

Hybernus, a, um = hiemalis

Aura, ae (f) = ventus

Aestivus, a, um <= aestas

Quies, etis (f) = silentium

*Lunae status = ubi luna in caelo est*

Par, paris = aequus

Confero, tuli, latum, ferre = comparo

Mobilitas, atis (f) = facultas se movendi/mutandi

*Ultimo = ultimo ex illis = amori populi*

*Palmam = primum praemium*

Honoro, are = honore afficere, colere

Labia, ae (f) = os, labrum

Fidelior <= fidelius <= fidus

vulgus, nisi tumultuari et  
furere et servire.

G.Populus me veretur.

R.Non faciet diu; facile enim  
ruit quod non certo iudicio  
stabilitum est.

G.Ardens in me populi favor  
est.

R.Ardenti principio saepe  
medium tepens, finis algidus  
fuit, quod haud crebrius ulla  
in re quam in studiis  
populorum cernas.

G.Populus me laudat.

R.Stultorum laus apud doctos  
infamia est.

G.Populus me suspicit.

R.Levi rerum alternatione  
despiciet; semper enim  
alterum extremorum tenet,  
medium vero nunquam, ut  
qui habitantem ibi hostem  
metuat.

G.Populus me colit.

R.Mirabor si tam inculto  
cultore fructifices.

G.Populus bene de me sentit.

R.Sine ullo delectu iudicare  
solitus utramque in partem.

Itaque vulgi sententia veros  
inter iudices contrarii  
argumentum est.

Stabilio, ire, 4 = firmare  
Iudicium, i (n) = consilium

Tepens = neque calidus neque frigidus  
Algidus = frigidus  
Crebrius <= crebro = saepe

Incultus = indoctus  
Cultor = sator (qui semina serit)

<p>G.Populus bene de me extimat.</p> <p>R.Suspecta sanis ingeniis extimatio insanorum; mallem te populo incognitum quam probatum.</p> <p>G.Populus multa de me loquitur.</p> <p>R.Et tu ergo popularibus auribus fidis atque ageris; quod, licet magnis olim viris evenisse noveris, non minor tamen est vanitas gaudere flatu tenui et incerto.</p> <p>G.Populus me miratur.</p> <p>R.Et ego te miror, qui hoc in gloriam tuam trahas.</p> <p>G.Populus me amat.</p> <p>R.Non haec laus sed fortuna tua est: populi mos est, ut saepe amet indignos, sed a quibus indigni amoris saepe dignissimam fert mercedem.</p>	<p>Extimo, are = existimare</p> <p>Incognitus, a, um = ignotus          Probatus, a, um = laudatus</p> <p>Vanitas = superbia, ae &lt;= superbus          Flatus, us (m) = ventus levis (mutatio)</p>
--	--

---

### Signa

<- vocabulum eiusdem radicis

= synonymum

<-> antonymum

– explanatio

: hic sibi vult

Editio

<http://mlat.uzh.ch/?c=6&w=bibit000299>

Lexicon

<http://lexica.linguax.com/forc-news.php>